

A loco cuncta eius victui necessaria obtulit, veritus ne vel propter rei inopiam, vel otij copiam, nouus homo illis in locis diutius perdurare nequiret. Quanta ergo vilitatis est post spirituales actiones aliqua manuum operatio, si per eam in proposito bene beatque viuendi perseveret? quanta necessitatis, si sine illa coli habitarique solitudo non possit: *Cassian. lib. 5. cap. 39.*

Syluanus Abbas. *Vide Locum de Opere.*
Ob hoc quidem & Dorotheus in desertis Aegypti Abbas, minimo somno indulgens, noctis quoque partem operi manuum dabat. Tunc nempe sportulas contextere solitus, interdiu autem lapides conuehere, & cellas adificare, quas ibi habitare volentibus (vt modò de Archebio diximus) vltro offereret. Sportulas autem diuenditis, pretium omnibus indigentibus donabat. Itaque semper laborando, semperque laborata aliis largiendo, & otium declinavit, & pietatem coluit. *Hystor. Trip. lib. 8. c. 1.*

Alterius nunc flexus in hoc exercitationis genere solertiam expediunt. Ferunt ipsam Beatam Virginem (quae & virgines castitate, & matres partu superavit (dum adhuc in templo seruiret, a summo mane vsque ad horam tertiam preces extendisse, a tertia ad nonam lanificio se occupasse. Inde demum sumpto modico cibo vsque ad occubitum Solis lectitasse scripturas, & in earum meditatione pernoctasse. Hac itaque vitae institutione ad tantam morum sanctitudinem deuenit, vt sola prae omnibus eligi meruerit, & quae Saluatorem mundi pareret, & post partum Virgo permaneret. Quod si haec quae sine peccato concepta, omnis prorsus peccati semper experta fuerit, id temporis quod orationi lectitionique superaret, manuum labore sibi transigendum duxit, quomodo te in ignaua otij mollitudine quadoque desidentem securam arbitraris, o virgo, quam in peccatis genuit mater, quam quotidie interius cogitationes, exterius prout ad vitia sensus impugnat? Crede mihi, non effugit decipulas Diaboli quilibet labore fugit. *Metaphrast. & alij.*

Huiusce quidem sententiae non ignara illa Monasterij Thebaidis Antistitia, quae Euphraxia Deo sacratae Virgini & adhuc puellae, praeter domesticos, id est communes cum aliis labores, hoc iniunxit, vt quotidie magni lapidum acerrimum de loco ad locum transferret, & translatos rursum restitueret. Quamuis enim ieiunij vigiliisque haud parum illam fatigari cernebat, timebat tamen ne si quicquam paulò remissius egisset, aliqua refidens iuuenilis in corpore turpis cogitationis feintillula excitarer peccati. Eam autem sopiri vel etiam extingui posse hoc exercitationis additameto sperabat. Neque ipsam spes fecellit, quandoquidem satis constat Euphraxiam Virginem inter sorores virtute atque integritate praestitisse. *In vit. PP.*

Haec sane exercitandi corporis cura etiam coniugatas honestavit Langrauij Turingiae Principis vxor Elizabeth & eadem Pannorij regis filia (cuius non semel mentionem fecimus) cum multis ante viduitatem opibus polleret, nequando per otium luxu distulueret, ancillarum officia vsurpabat, lanam, linumque carpendo, nendo, texendo, suendo, caeteraque id genus opera conficiendo, se plurimum fatigabat. Sic pudicitiam conseruauit, sic humilitatem custodiuit, sic ipsa Euangelicae perfectionis insignia, quibus post obitum mariti abunde eluxit, comparauit. Etenim ad illam verae beatitatis quietem perueniri non potest, nisi per vitae praesentis frequentes assiduosque labores. *Conrad. Conc. Elizabeth.*

D Ac ne plura huiusmodi exempla enarrando modum excedat oratio, libet in fine capitis huius apponere verba *D. Hieronymi ad Demetriadem virginem* accuratè admodum elegantertque scribentis; Stature, inquit, quot horis sanctam Scripturam ediscere debeas, quanto tempore legere, non ad laborem, sed ad delectationem & instructionem animae. Cum que haec finieris scripta, & frequenter te ad figenda genua sollicitudo animae suscitauerit, habeto lanam semper in manibus, vel staminis pollice fila diducito, vel ad torquenda subtegmina in aleucolis fusi vertantur, aliarumque neta aut in globum collige, aut texenda compone, quae texta sunt respice, quae errata reprehende, quae facta conserue. Si tantis operum varietatibus fueris occupata, nunquam dies tibi longi erunt, sed quauis actiuis tendatur solibus, breues videbuntur, in quibus aliquid operis praetermissum est. Haec obseruans, & te ipsum saluabis, & alias, erisque magistra sanctae conuersionis, multarumque castitatem lucrum tuam facies, *Script. L. B. Theat. vita Humana. Tom. I. V.*

E ptura dicente: In desiderijs est omnis anima otiosi. Nec idcirco tibi ab opere cessandum est, quia propitia nulla re indiges: sed ideo cum omnibus laborandum est, vt per occasionem operis nihil aliud cogites, nisi quod ad Domini pertinet seruitutem. *Hieron. ad Demet. circa finem.*

HIEROGLYPHICA LABORIS.
Laboris indefessi perseverantiam, ex Formica picta significabant: nam ea non interdiu solum, verum etiam noctibus laborem exercet. Et nota est fabula de formica & Cicada. *Pier. Valer. l. 8. pag. 69. A.*

Receptum & illud est, seruirem labore per Asinum clitella instratum significari, cuius rei causa magis vulgo nota est, quam verbis explicare necesse sit: quippe quod animal indefessi sit laboris, vt vndique & perpetua onerum vectationi vexationibusque aliis damnatum esse videatur. *Pier. Val. l. 12. pag. 11. E.*

Apem quoque laboris symbolum faciunt. Nam illud quod Salomon ait, Vade ad apem, & discere ab ea quam laboriosa sit operatrix, vniciueque manifestum est artificij sedulitatisque illam esse hieroglyphicum. *Pier. Val. l. 16. pag. 244. E.*

F Statua etiam Herculis clauam humero gestantis, & exuuii leonis contacti, ac septicipitem hydrum pedibus premens, seu laboris improbi symbolum reperitur apud Poetas; & Pictoribus vsitata ea representatio. Illius autem labores propter quos omnium versibus decantatur, ita describit *Seneca.*

*Herculem duri celebrant labores,
Ille Centauros domuit superbos,
Abfuit sano spolium Leoni,
Fixit & certis volucres sagittis,
Poma cernenti rapuit Draconi,
Aureo lena grauior metallo:
Cerberum viaxit triplici catena,
Victor immitem possuisse ferunt
Pabulum sauis dominum quadrigis,
Hydra combusto perit veneno.
Fronte iuratus Achelous amnis,
Ora demersit pudibunda ripis.
Stravit Antaeum Libycis arenis.
Cacus Euandri fatiuit iras.
Quisque pressurus foret alium orbis
Seiger spumis huceros notauit.
Ultimus caelum labor in restre xo
Sustulit collo, pretiumque rursus
Ultimi caelum meruit laboris.
Ite nunc fortes vbi celsa magni
Duxit exempli via.*

Porro non improbabile est quod plurimorum auctoritate probat *Seruius in lib. Iudicium*, Gentiles ea quae de Samone narratur, ad fabulas suas transfuisse, & inde occasionem sumpsisse tam admiranda de suo Hercule commentandi. Quae de re satis curiosa reperiet Lector apud eundem Serrarium.

* Labyrinthus.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

Labyrinthus vox Graeca, significat locum variis viarum Lambagibus inflexum, siue secundum *Isidorum lib. 15. cap. 2.* est perplexis parietibus adificium: Perotum verò ait quod sit potentissimum humani ingenij opus, itinerum ambages, occurfus ac recursus frequentes & inexplicabiles continens, crebris foribus ad fallendos exitus, & in errores eodem redeundum. *Virgilius s. Aeneid.* ita describit;

*Vt quondam Creta fertur Labyrinthus in alta
Parietibus textum caecis iter, accipitque
Mille viis habuisse dolum, qua signa videndi
Fangeret indepressus, & inuincibilis error.*

Dictum voluit *Plinius lib. 8. cap. 1.* quod fores siue exitum non habeat. Alij componunt ex *λαβύνω* & *πύλη* τὸ εἶναι, quod capiat & implicet cursu, nempe quando euntes tenet inexplicabilis error.

CELEBRIORES QUI, ET VBI.

Quatuor Labyrinthos celebres memorant historiae: Aegyptium, Creticum, Lemnium, & Italicum. *Vide Tit. de Loco. in fine, vbi de Locorum magnificentia.*

Aegyptium describit *Pomponius Mela lib. 1.* fuitque omnium maximus in nomo Heracleopolite, vocaturque portentosissimum humani ingenij opus, lapideis è Pato columnis in introitu, reliquis Syenticis.